25. 42.

Viro Celeberrimo Gottlieb Cortio S. D. P. Burmannus

Tribus accipe, cum enim occupatissimus, me accipere has, quibus supervacaneo inter nos verborum honore gratias pro excerptis Plinianis agis. vellem tibi in aliis, quae minoris mihi constarent, gratificari possem: nam ~~et~~ alii dem codicem, reliquorum, de quo saepe tibi memoravi, prohibeor. si moram patitur tuum edendi Plinii Epistolas consilium, in ferias, quibus rusticari soleo, differri vellem. Julium enim et Augustum menses ab omni Academico negotio liberos, mihi vendico, nec urbem respicere soleo. sed si festinas, subinde aliquid temporis subtraham aliis curis. Emissa Sylloge Epistolarum et Ovidio, liberiore quidem sum animo. Nec Phaedrus etiam me avocat, utpote jam ante menses duos omnino typis descriptus. sed ne prodiret in lucem, fecit doctissimi juvenis Dorvillii epistola, qui Perrotti codicem in Italia invenit, unde mihi descriptas varias lectiones brevi mittet. si vero in illis aliquid dignum memoratu occurrat, appendicem adjiciam. ad singula Epistolae tuae capita nunc singulatim respondere non vacat. de Catulli nondum possum cogitare, cum ~~post~~ expectem Havercampi insulsum foetum, et illico mox ad Venaticos poetas aggrediar, et omnes monebo, publice, ne pecuniam in ineptum librum profundant. Si in actis vestris inseri vellent admonitionem meam, ad te eam brevibus conceptam verbis mitterem. sed dubito, quia olim Ampl. Menkenius noluit de editionibus Ovidii et Virgilii Walbergii et Saurelii a me aliquid actis adjici. interim si vacat Epigrammata grato animo accipiam, si modo non plane inferioris ~~aevi~~ quaedam praeferant. de Bronkhusii Epigrammatis in Gronovium et alios, nihil audivi, nisi ante breve tempus, quo dederit sex modo ~~ex~~ septemve exemplaria excusa, quae nec cum multis communicata sunt, et mihi vix videre licuit. Cum Phaedri editio ~~fieret~~, interim rogatu amicissimi mihi Typographi Suetonium Graevii minoris formae recudo, sed lectori manu modo variantes modo lectiones ex Codd. et editionibus priscis, quarum satis magna mihi est copia, conjecturis. Addo elegiam, a juvene, docti pleno Ultrajectinae alumni, in eruditum meum modo editam. agnosces non infelicem venam. Vale et Ampl. Menkenio salutem dicas. Leidae a. d. v Mart. CIↃIↃCCXXVII

A Monsʳ

Monsʳ. Gotlieb Corte
Professeur en droit

4

à

Leipsig

ff Hamrath